



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Explicantur dictæ donationum classes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

mensuram; Beneficia, inquam, jam facta non facienda, de qua re lege Dianam *part. 8. tract. 6. resol. 1. 15. v. Notandum est*. Ad donationem autem remuneratorem satis esse, si donator dicat, se donare ob merita donatarii, nec opus esse, ut merita probentur, idem *ibidem resol. 116.* docet.

2. *Secunda Divisio*. Alia est pura, id est, sine ulla conditione, seu limitatione. Alia non pura, id est, cum limitatione loci, temporis, &c.

3. Subdividitur autem donatio non pura in donationem conditionalem, ut: *Dono tibi equum, si hoc, vel illud facias*; & in Donationem in diem, ut: *Dono tibi equum, non nunc si vivis, sed post meam mortem, post aliquot annos, &c.*

4. Et hac quidem donatio in diem, iterum subdividitur: Alia enim est in diem certum, qui scilicet certus erit, siue illum determinat sciamus, quando veniet, siue ignoremus, ut: *Dono tibi equum post meam mortem, vel post annos quinque*. Alia est in diem incertum, quia scilicet incertum est, an unquam adveniet, nam propterea ejusmodi donatio tandem resolvitur in conditionatam, teste Molina, in *summa d. 205. ut: Dono tibi equum pro eodem tempore, quo nupseris, quo Romanus adieris, &c.* sensus enim est, si nupseris, si adieris Romanam, &c.

5. *Tertia Divisio*. Alia est donatio inter vivos, estque ea, quæ donator transfert dominium rei in donationem in vita ipsius donatoris, quam certe solent aliqui donatores facere revocabilitate, ita ut illam possint revocare, quando velint, aliqui irrevocabilitate, ita, ut eam amplius revocare non possint. Alia est donatio causa mortis, estque ea, quæ donator transfert dominium rei donate in donatarium post mortem suam, id est, ipsius donantis.

6. Vbi vides, propriè loquendo, donationem factam siue in sanitate, siue in Testamento, siue in periculo mortis, &c. si per eam donans statim transferat dominium rei, esse donationem inter vivos, si post mortem, esse donationem causa mortis. Lege *Onu. rem. 2. de contr. tr. 10. d. 3. 1. sect. 1. & 5. Vadium tract. de contr. d. 3. d. 9. per tot. Bonac. d. 3. de contr. all. quest. 14. part. 1. num. 20. Clar. apud Bonac. cit. negantem aliquid ex dictis, Azor. 3. p. lib. 11. c. 11. §. 4. alioque, nec omittatur Molina d. 287. num. 22. qui rectè percurrit signa, & conjecturas, quibus dignoscatur, an donatio sit inter vivos, an mortis causa, quando delint verba expressa, quæ donationem hanc, vel illam notent. Sed certè non erit inutile hic aliqua ex dictis signis summam afferre.*

Signa Donationis inter vivos, causæ mortis.

7. Primò, si donas quid, sed transfrendo executionem ejusmodi donationis post mortem, tuam donationem facis inter vivos, quia jam nunc donas, & solum donationis effectum illum, seu complementum differs, quod explicavimus *capite 1. n. 1.*

8. Secundò, si absolute dones, nihil aliud addendo, donationem facis inter vivos, quia donare sine addito, est nunc donare.

9. Tertiò, si absolute dones, quando es ægrotus, etiam cum eo periculo mortis, quo verosimile erat, te ob mortis metum fuisse inductum ad donandum, donationem facis inter vivos quia etiam donare nunc potes, dum es infirmus; Si ergo aliud non expressisti, inter vivos donasti. Excepi, nisi donator ejusmodi donationem, quam donatarius, nec per se, nec per legitimam personam accepit, apposuerit in Testamento, vel Codicillo, tunc enim ea donatio inducet rationem Legati, estque causa mortis, unde, ut mox dicitur, revocari potest.

10. Quartò, si dones cum addito, post mortem meam, vel si ex hac infirmitate moriar, vel si ex navigatione è vita discessero, clara est donatio causa mortis, immò, quando in donatione facta est mortis mentio, propendendum est ad pronuntiandum, eam esse causam mortis, nisi aliud clarè appareat in contrarium.

Par. III.

11. Quintò, si donatio facta est coram quibus Testibus, cum solemnitate scilicet, requisita à Testamento, vel Codicillo, magnum est signum, esse causam mortis; enim persuadet solemnitas propria ultimatum voluntatum, inter quas numerandum esse donationem causa mortis, mox dicemus §. 2. n. 10.

12. Sextò, contra, si donatio facta est coram duobus Testibus, signum habes donationis inter vivos, etiam si executio ejus, ut dictum est n. 7. differatur ad finem mortis, quia id persuadet solemnitas sufficiens ad donationem inter vivos. Adde, semper pronuntiandum, ut actus valeat potius, quam pereat, si periret, seu irrita esset dicta donatio coram tam paucis Testibus facta, nisi censetur esse inter vivos.

Quando omnibus expensis, adhuc dubitatur, qualis sit donatio, qualis sit censenda, dixi *supra lib. 8. matr. tr. 7. c. 2. §. 1. n. 15.*

Quando autem dubitatur de ipsa donationis substantia, hoc est, an ipsa fuerit facta, dixi *l. 1. in Dec. lib. 3. c. 7.*

§. II. Explicatur magis prædicta Donationum Classes.

Res promissa uni alteri tradita.

1. Dico primò, si promissisti mihi acceptanti equum, v. g. donare, & deinde (sanè cum culpa contra Promissarium *superius* explicata) donasti alteri eundem equum, sequuta traditione, hic alter dominum habet equi, ego autem possum duntaxat & debet habere interitus, si quod passus sum, & n. l. præterea. L. g. quæ dixi *c. 7. de promissione, §. 5. n. 30.*

Prohibita Donatione, non prohibetur Remuneratio.

2. Dico secundò, si à Principe prohibeatur donatio, ut prohibuit Clemens VIII. Religiosis Donationes, & ut prohibet Ius Civile donationes inter conjuges, gratuita solum prohibita censetur, non verò remuneratoria; quia hæc aliquantulum deficit à propria donatione, quæ propria, tota, quanta, quanta est, fundatur in liberalitate, nec oriri debet ex ullo debito etiam gratitudinis: prohibitio autem alicujus rei, cum sit odiosa, restringenda semper est ad rem maximè propriè talem. Ita Sanchez *lib. 6. matr. d. 6. num. 1. & 2. Dian. part. 1. tract. de Pauper. Relig. res. 15. & 16. & p. 8. tract. 6. resol. 115.* aliique contra nonnullos alii codum citatos. Lege etiam Delugo *d. 23. de Inst. n. 131.*

3. Inquires: Si ego donavi aliquid Titio, is autem ob gratitudinem aliud mihi retribuit, si deinde ego aliud quid eidem Titio donavero, estne hæc secunda donatio remuneratoria, an gratuita?

Respondco: Est gratuita, quia tu sine ullo debito donasti secundo: Donatio enim Titii, cum non fuerit, nisi ad te remunerandum, non potuit ponere novum debitum in te, sed extinxit suum. Quare tu secundo omnino gratis donasti.

4. Quid, si Titius excessit in retribuendo?

Respondco: Tunc certè erit gratuita, & liberalis ejus donatio secundum hunc excessum, & consequenter, secundum ejus excessum mensuram, erit remuneratoria tua secunda donatio.

5. Subinquires: Quantum debet esse hic excessus, ut dicatur gratuita in retribuente, seu, qui dici possit meritis præcedentibus non æquipollere?

Respondco: Id certa lege definiti non potest: nam: quanvis aliqui censeant, quicunque excessum esse gratuitum, satis enim (ajunt) per æquale sit debita retributio, aliqui verò velint gratitudinem postulare, ut plus semper reddatur, quæ est sententia Aristotelis, 8. *Ethic. & Sancti Thomæ, 2. 2. q. 106. art. 6. cui adde Sence. l. 1. de Benefic. 18.* quod plus, Sanchez, *l. mox cit. & Diana part. 1. tract. de Pauper. Relig. resolut. 16.* dicit, esse probabile, quod debeat esse, ut aliqui dixerit, in dimidio, ut si recepisti decem, debeas retribuere decem, & quinque.

G g 3 Q uantvis

Qualvis, inquam, aliqui sic censent, tamen idem Sanch. l. 8. *matr. d. 6. n. 9. & l. 1. Confli. c. 6. d. 2.* cui addit Dianam p. 8. *tr. 6. ref. 120.* denique concludit, totum hoc prudentis arbitrio esse relinquendum, attenta praesertim qualitate donantis; plus enim solent, ac debent Principes retribuere, quam Plebei, vel Religiosi, &c. Quod autem Religiosi, & Religioni infir etiam debitum gratitudinis, ut iuxta suam vivendi rationem debeant, sed moderate, benefactoribus retribuere, ipsum lumen naturale manifestat.

Discrimina inter Donationem conditionalem, & inter Donationem in diem.

6. Dico tertio: Est laicum discrimen inter donationem conditionalem, & inter donationem in diem certum: Si enim sic dicas per donationem conditionatam: *Dono tibi equum, si moriar*, cum hac conditio sit necessaria, verificatur etiam nunc: Quare ex nunc debes mihi equum tradere. Si vero sic dicas sine conditione: *Dono equum, quando morier*, debebo expectare tuam mortem, ut mihi tradatur equus. Ita Mol. d. 81. n. 4. & de 205. & 284. apud quem alia pertinentia ad has donationes in diem certum, vel incertum invenies.

Discrimina inter Donationes causa mortis, & inter vivos.

7. Dico quarto: Sunt denique discrimina non pauca inter donationem inter vivos, & donationem causa mortis, quae late prosecutur. Onate, l. c. d. 1. & Vad. *gu. de contr. d. 3. d. 9.* Illud autem est potissimum, nam donatio causa mortis proprie accepta, potest semper revocari; est enim iuxta testamenti, vel legati, numeraturque inter ultimas voluntates; At donatio inter vivos, proprie item accepta, rebus immutatis (de qua mutatione mox c. 8.) revocari non potest.

8. Dixi (proprie accepta) nam, si donatio causa mortis sumatur pro qualibet donatione praesenti, facta ob periculum mortis, quae tamen transferat, ex voluntate donantis, dominium, ante ipsam mortem donantis, jam haec non erit essentialiter donatio causa mortis, ut patet ex eius natura, quam explicui §. 1. *num. 4. & 5.* sed desinet in donationem inter vivos. Sicut etiam, si donatio inter vivos ita fiat, ut addatur clausula, quae possit revocari, quando voluerit donator, atque adeo semper, ante suam mortem, iam haec non erit essentialiter donatio inter vivos, ut patet item ex eius natura, quam explicui *ibidem*, sed degenerabit in donationem causa mortis.

9. Quod autem donatio propria, causa mortis, sit numeranda inter ultimas voluntates, & non sit proprie contractus, inter vivos, inde probat, & merito Onate, *ibid. d. 3. l. 1. num. 8.* quia ipsa habet omnia signa ultimarum voluntatum; habet enim, inquit, Primum, voluntatem deambulatoriam (qua scilicet semper ante mortem potest per meram voluntatem donantis revocari) Secundum, requirit quinque testes. Tertium, insinuatione non indiget. Quartum, sit plene inter absentes. Quintum, plures, qui contrahere non possint, possint mortis causa donare. Sextum, denique confirmatur morte donantis, non autem antea.

10. Si donatione causa mortis adiungatur iuramentum, quod donans promittit, illam non revocare, vel (quod in casu saltem nostro idem moraliter est) quod donans promittat cum iuramento, illam adimplere. Onate *ibid. l. c. d. 8.* docet, revocari eam propter Religionem iuramenti amplius non posse, sed tunc degenerare à proprie dicta donatione casu mortis, & fieri donationem inter vivos. Verum, de hoc iuramento non revocandi testamentum, & consequenter donationem causa mortis, vide quae nos l. 3. in *dec. c. 3. §. 5. n. 39.* diximus, & quae dicemus *inf. c. 4. §. 4.* in simili.

11. De donatione causa mortis innumeri Iurisperiti late disputant, innumerique Theologi, quorum praecipuos citatos habes praeter Onaten *loc. cit.* & Molinam,

à *disp. 2. 87.* apud Dianam p. 8. *tr. 6. ref. 67. & §. 9. ubi de hac dispositione difficultates percurruntur.*

• *Donatio, non subsistente causa ipsa.*

Vbi:

De simili Eleemosyna, vel Legato.

12. An donatio facta ob aliquam causam, et non subsistente, sit valida?

Respondendo, necessarium esse distinguere: Donatio enim per errorem facta, quando error cadit in substantialia, est nulla, est autem valida, quando in accidentalia, quia ibi non subsistit causa donandi, quare, re donatio ab illa dependens: hic vero substat. Et ratio posterior est, quia, non persistente causa cadente in substantialia, donans merito iudicatur, nequaquam persistere in sua dispositione: at vero non persistente causa cadente in accidentalia, quia sic levis est mutatio, eadem dispositione merito persistere iudicatur. Vide quae simili dixi de *Promissione*, cap. 4. *num. 8.*

13. Illud diligenter advertendum, hic nemine substantialium intelligi omnes illas causas, quae sunt materiae donationis, hoc est, quae, si cognite fuissent non adhibita non fuisset donatio: Accidentalia vero sunt causa tantum impulsiva, id est, quibus cognitis non adhibita adhuc facta donatio fuisset.

Haec breviter innuisse si sufficiat: nam multa de hoc argumento ego dixi, l. 3. in *Dial. cap. 3. §. 5. n. 22. in iuram. & ibid. cap. 13. ubi de vot.* Vide Dianam p. 8. *tr. 6. ref. 89.*

14. Non subsistente paupertate, si caritate, insinuatione, an donatarius obligetur restituere ea, quae donanda principaliter in otus fuit donans ab his causis, *dec. item l. 7. in Dec. cap. 3. §. 2. n. 4.* & facit, quod *ibid. d. 1. §. 2. n. 6.* ut etiam alibi de oculis dehorata, si aliquis accipiat ex causa Virginitatis.

15. In dubio de animo donantis, an causa donandi fuerit motiva, an impulsiva? Restituitur dum pro rata ubi puto.

CAPVT III.

Quis possit donare?

Donare it possunt, qui legitime sub suo dominio, vel libera administratione rem donandam habent. Dubitatur autem de aliquibus, de quibus ego alibi per alias occasiones disputavi, quorum loca, in gratiam Lectoris, indicabo *infra, cap. ult.*

Alia igitur, quae supersunt, hic in propria sede tractationem meriti exposcent, & ego breviter discussis propinabo.

§. I. *Quadam Classes Personarum quid, & quatenus donare possint?*

REGES, ET PRINCIPES.

1. Reges, & Principes donare quidem, & remanere de bonis Coronae quae se habent, ut bona vincularia, & ipsi data, ad bonam administrationem, & defensionem Regni, non possunt profuse donare in damnum finium forum: nam propterea iidem successores possunt revocare has nimis exorbitantes donationes ex praedictis bonis factas: quod minutius, multis adductis Decretis habet Diana, p. 8. *tr. 6. ref. 18. ibid. ref. 122. & 123.* quod etiam habes donationem remanentem Imperatorum Principis non immoderatam, cum transeat in contractum, revocari non posse, eandemque multis gaudere Privilegiis.